



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Brevis Expositio Propositionum Damnatarum**

**Didacus <ab Aragonia>**

**Venetiis, 1728**

Fides.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42653**



locum ubi sit concubina, lectum sternere &c. nam hæ actiones adjuvat de facto ad exequendam luxuriam heri; possunt tamen excusari famuli, quando scilicet ignorant, ea ministeria esse pro exerenda libidine, & quamvis mera suspicione tangatur, ea solet non esse talis, ut extrahat eos à mera dubitatione.

238. Licitæ tamen sunt actiones alię ministrandi, quæ non adjuvant ad exercendam luxuriam, v. g. si concubina existens in domo heri peteret à famulo aquæ poculum, non esset illicitum aquam illi ministrare, quia ministratio aquæ non adjuvat ad exequendam libidinem; & sic in similibus actionibus, quæ ad id nihil adjuvant.

### F I D E S.

239. **Q**uæritur. An detur præceptum speciale fidei?

Resp. dari in fide speciale, & proprium præceptum ad illam pertinens, & obligans sub mortali, nam qui non crediderit, condemnabitur: *Matth. ult.* opinio opposita damnatur ab Innoc. XI. cum propos. 16.

240. Quæritur. An contineatur sub ea damnatione propositio affirmans, præceptum affirmativum obligans ad eliciendos actus fidei non esse speciale, & per se, sed solum negativum interdicens peccata opposita fidei?

Resp. Eam propositionem, quamvis prima facie videatur non includi sub damnatione, eo quod censura Pontificis non distinguat inter præceptum fidei affirmativum & negativum; tamen re altius confi-

de ra-



derata, contineri etiam sub damnatione probatur, nam Innoc. XI. loquitur in eodem sensu, ac Alexander VII. in prima propositione ex damnatis ab ipso, sed ut constat, ibi loquitur de præcepto fidei affirmativo, ergo de eodem loquitur Innocentius approbans quod Alexander decrevit, & consequenter damnans propositionem asserentem non dari præceptum fidei affirmativum speciale, & per se.

241. Quæritur. An homo aliquando teneatur elicere actus fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium?

Resp. Affirmativè, patet manifeste ex propos. 1. inter damnatas ab Alex. VII. homo enim aliquando per se, & directè, aliquando per accidens, & indirectè obligatur ad eliciendos eos actus; per se, & directè ex vi præcepti divini, & naturalis obligatur, quando debet ipsos elicere obligatione proveniente ab ipsa respectivè virtute, vel fidei, aut spei, aut charitatis, & tunc ommissio actus est peccatum per se, & directè contra hujusmodi virtutes in confessione explicandum; per accidens, & indirectè ex vi aliorum præceptorum obligatur, quando actus prædicti non præcipiuntur, nisi in ordine ad exercendos actus alterius virtutis, puta, ad superandam aliquam gravem tentationem, quæ aliter superari non potest, nisi per exercitium eorum actuum; cum ex ipso rationis dictamine absolum sit, hominem nunquam, aut rarò ad Deum finem ultimum se convertere, credendo quæ dignatus est revelare, sperando in ejus misericordia, & amando infinitam ipsius bonitatem: deinde quia

F      hujus-



huiusmodi actus necessarii sunt ad piè vivendum, & ad alia media salutis usurpanda, *sine fide enim impossibile est placere Deo, ad Hbr. 11. & ad Rom. 8. spe salvi facti sumus, & qui non diligit, manet in morte, Joan. 3.* proindè S. Sedes definit, in sole cæcutire eos, qui de hac obligatione dubitant, cum ea pomeridiana luce sit clarior, quod pariter confirmant *propositiones 5. 6. 7. 16. 17. & 65. ab Innoc. XI. & 1. ab Alexan. VIII. damnata.*

242. Quæritur, quando per se, & directè obliget præceptum negativum fidei, spei, & charitatis?

Resp. 1. Præceptum negativum fidei semper, & pro semper obligat eum cui sufficienter sunt proposita mysteria fidei esse à Deo revelata, ut ea non neget, ipsisque non dissentiat, & cum advertentia, & voluntariè non dubitet de illorum veritate, id enim semper, & quovis momento est prohibitum. 2. præceptum negativum spei semper, & pro semper obligat ad non desperandum de Dei misericordia, & non presumendum de beatitudine consequenda sine meritis, & auxilio gratiæ. 3. præceptum negativum charitatis semper, & pro semper obligat ad non odiendum Deum, nihilque agendum, quod ejus dilectioni, & amicitia contrarium sit.

243. Quæritur. Quando per se obliget præceptum affirmativum eliciendi actus internos, spei, & charitatis?

Resp. 1. Cum quis primùm venit ad plenum usum rationis, & ei sufficienter proponitur, mysteria fidei esse à Dio revelata cum obligatione credendi, Deum esse nostram beatitudinem, & finem, ad quem bonis actibus tendere debet: cum obligatione speran-



sperandi in eo infinite misericorde, & omnipotente; & amandi summam ipsius Bonitatem. 2. Quando urget tentatio contra eas virtutes, quæ vinci non possunt alio modo, quam eliciendo earundem actus. 3. In articulo mortis, quia id est tempus opportunè adimplendi hoc præceptum. 4. Cum quis fidem exterius confiteri tenetur, alias mentiretur, si diceret externè se aliquid credere, quod interius non crederet. 5. Ad minus sexies in anno, securius semel in mense, quia verisimile est, Christum Dominum in institutione præcepti istarum virtutum id voluisse, præsertim cum non sit fidelibus difficile quoad exercitium, nec debent esse anxii, an præcepto satisfecerint quia praxis communis fidelium est elicere frequentissimè eos actus: cum audiunt Missam, recitant orationem Dominicam, Salutationem angelicam, & Symbolum Apostolorum; Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharist. suscipiunt, adsunt divinis officiis, reverentiam exhibent sanctis, se signant in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quæ omnia præstari non possunt sine multis actibus prædictis; & ita contingit in sexcentis aliis circumstantiis, quibus redundat vita christiana; consultius tamen est, ad tollendos scrupulos, ut Confessarius pœnitentes rudes instruat, & faciat, ut tales actus eliciantur maximè ab his, qui rarò confitentur.

244. Quæritur. Quando per accidens obliget præceptum Affirmativum exercendi eos actus?

Resp. Quoties quis ad actum supernaturalem eliciendum obligatur, qui sine actu fidei haberi non potest, ut ad sperandum, Deum



Deum diligendum, dolendum de peccatis, ut oportet &c. nam fides est supernaturalitatis initium; sic qui orat teneatur sperare quod petit, ne vaga sit oratio, sed Deo placens; qui dolet de peccatis, debet veniam sperare; qui existimat se non superaturum aliquam tentationem verbi gr. contra castitatem, nisi mediante actu amoris in Deum, tenetur actum dilectionis elicere.

245. Quæritur. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pœnitente petente instrui de modo eliciendi actus fidei, spei, & charitatis?

Resp. Ipsum instruat de tempore obligationis, & ut eos actus eliciat ex motivo formali ipsarum virtutum, hinc scias, unamquamque illarum habere objectum materiale, & formale; objectum materiale fidei divinæ est omnis res à Deo revelata, ut Deus est Trinus, & unus, verbum incarnatum &c. formale vero, & motivum ipsius est ratio propterquam creditur, scilicet, quia Deus summe verax revelavit; ideo actum fidei divinæ elicit, qui ex corde dicit: Firmissime credo, Deum esse trinum, & Unum, Redemptorem, ac Remuneratorem, quia ipse Deus summè verax revelavit, & Sancta Mater Ecclesia Catholica fidelibus id credendum proponit, deinde ob idem motivum credo omnia, quæ in scripturis sacris, & in Symbolo Apostolorum continentur, & quicquid credit, tenet, ac docet eadem Sancta Ecclesia, objectum materiale spei est ipsa Beatitudo, seu Deus possidendus, & omne bonum spirituale, quod à Deo possumus expectare conducens ad beatitudinem; objectum vero  
forma-



formale est misericordia, & omnipotenti  
 Dei. & ita actus spei Theologicæ erit: Deus  
 meus, quia infinitè misericors, & omni-  
 potens, firmissimè spero ob merita D. N.  
 JESU Christi, te mihi daturum beatitudi-  
 nem, si usque in finem bene cum tuo au-  
 xilio operabor, sicut operari, te auxiliante,  
 propono: **Objectum** materiale charitatis est  
 Deus ipse, & quicquid placet Deo, quod  
 amemus; formale vero est infinita Dei bo-  
 nitas secundum se, & propter se amabilis  
 propter quam Deus amatur; hinc actus  
 charitatis elicit, qui ex corde dicit: Deus  
 meus te super omnia diligo, omnibus  
 creaturis te præfero, ac potius tibi volo  
 placere, quàm alii cuicumque, quia infini-  
 tè bonus, propter te amabilis, & perfectis-  
 simus es, & ideo mihi summoperè displicet  
 te offendisse, ac de cætero non peccare, te  
 adjuvante, propono.

246. **Quæritur.** An debeant exerceri  
 actus fidei, & spei, antequam suscipiatur  
 pœnitentiæ Sacramentum, tamquam præ-  
 viæ dispositionis ad justificationem, prout  
 habetur *in Trident. Sess. 6. cap. 6.*

**Resp.** Quod licet fidelis teneatur crede-  
 re suo tempore, quæ sunt credenda, sive  
 necessitate medii, sive necessitate præcepti,  
 non tenetur tamen elicere actus fidei for-  
 males, & explicitos de mysteriis credendis  
 præcisè, ut ad Sacramentum pœnitentiæ  
 disponatur; etenim Trident. docet ea,  
 quæ solent, non ea, quæ debent præ reju-  
 stificationem, & ideo sufficit fides illa vir-  
 tualis, quam quilibet habet, dum enim  
 petit à Deo, & justificationem ex ejus mise-  
 ricordia expectat.

247. **Quæritur.** Quare fideles de trans-



gressione præcepti harum virtutum fere nunquam se accusant, nec solent à Confessariis de hoc interrogari?

Resp. Quia supponunt satisfecisse, & non tantum semel, sed frequenter eo modo, quo dictum est superius quaestione 243. vel quia pœnitens ad hanc obligationem non advertunt, & ideo non peccant diu differendo exercitium horum actuum; neque tenentur repetere Confessiones præteritas, quas bona fide fecerunt, sed sufficit, ut se accusent de negligentia in addiscendis Mysteriis fidei, & eliciendis actibus prædictarum virtutum, postea sufficienter instruantur, & si aliàs dispositi fuerint, absolvantur si verò ex statu pœnitentis colligat confessarius, illum hæc præcepta scienter omisisse, tunc debebunt repeti confessiones præteritæ tanquam invalidæ, explicando numerum vitium, in quibus omisit pœnitens elicere prædictos actus, saltem circumcirca?

248. Quæritur. An fidelis interrogatus de professione suæ fidei possit eam negare?

Resp. Certum est apud omnes, & de fide tenendum, numquam esse licitum, quin potius mortale peccatum esse, negare fidem, sive coram potestate publica, sive coram homine privato, id enim constaret ex verbis Christi, *Matt. 10. qui negavit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo*, quæ negatio, duobus modis potest contingere, vel cum quis negat veram fidem catholicam, aut aliquod mysterium fidei, vel cum negat, se esse catholicum, Christianum, aut Papistam, idque sive negatur voce, sive signo alio exteriori. Præterea datur præceptum affirmativum confitendi exterius

r  
co  
fe  
ri  
ef  
fit  
M  
fo  
di  
Sa  
pt  
pe  
ex  
op  
r  
de  
ne  
qu  
po  
de  
et  
li  
de  
id  
ne  
er  
fil  
ra  
qu  
te  
fic  
m  
pi  
pa  
da  
fil



rius fidem, ut constat ex *D. Paulo ad Rom. 10.* corde enim credetur ad justitiam, ore autem Confessio fit ad salutem, scilicet tanquam necessaria necessitate precepti; Confessio verò alia est materialis, & alia formalis, materialis fit per signa externa, scilicet audiendo Missam, accipendo S. Eucharistiam &c. formalis fit per vocum pronunciationem, dicendo Symbolum Apostolorum, aut Sancti Athanasii &c. denique hoc præceptum affirmativum sufficienter impletur per Confessionem materiale, ut constat ex *Epist. Jacob. cap. 2.* Ergo ostendam tibi ex operibus fidem meam: hinc perpende *propof. 18.* inter damnatas ab Innoc. XI.

249. Quæritur. An fidelis interrogatus de sua fide, cui illam (ut dictum est) negare non licet, possit tacere?

Resp. Apud omnes certum est, quod quando interrogante Tyranno, vel privata persona, silentium est signum negationis fidei, aut erubescentiæ de confessione illius, etiam ob metum mortis, est mortaliter illicitum contra præceptum Confessionis fidei; si verò per possibile, vel impossibile id silentium propter aliquas circumstantias non esset signum negationis fidei, neque erubescentiæ de illa confitenda, neque id silentium esset scandalo aliis, quo averterentur à fide illud non esset illicitum, quia tota ratio malitiæ, quæ reperiri potest in eo silentio, est, esse signum negatiæ fidei, signum, inquam unde possit præsumi negari fidem, idque sive propter præceptum confitendi, & non negandi, sive propter scandalum aliorum, igitur juxta damnationem dictæ *propof. 18.* dicimus, id silentium per se esse mortaliter illicitum,



per accidens autem posse non esse peccaminosum, quando scilicet ore tacens, opere confitetur.

250. Quæritur. An damnationi præfactæ propositionis subjaceat opinio docens; quod cum fideles à potestate publica per Edictum vocantur, ut coram Tribunali declarent suam fidem, non teneantur ire ad illum declarandam?

Resp. Negative, ratio est, quia necessarium est, ut persona nominatim, ut sic dicam, & in particulari rogetur, nam si tantum in generali proponatur, ut si quis est fidelis se prodatur, cum multi adsint occulti, nemo propriè interrogatur, & ideo regulariter loquendo, nullus tenetur tunc se prodere.

251. Quæritur. An subjaceat damnationi sententia asserens: eum, qui interrogatur non in odium fidei, sed propter alium finem, non peccare tacendo, aut simulando?

Resp. Non subjacere, nam censura Pontificia respicit causam fidei, & Confessionis ejus: si verò Princeps catholicus propter aliquem finem honestum scire vellet, quinam essent catholici in ditione sua, & interrogaret Petrum: An esset Catholicus, tunc huic tacere, & tergiversari non liceret, quia ea taciturnitas esset signum negatæ fidei; quare propositio asserens, in hoc casu silentium esse licitum, subjacet damnationi?

252. Quæritur. An ad assensum fidei necessaria sit pia affectio supernaturalis?

Resp. Piam affectionem voluntatis supernaturalem esse necessariam simpliciter ad assensum fidei supernaturalis, est communis Theologorum sententia, tam firmis auctoritate

ctori-



Claritatibus, & rationibus munita, ut opposita, ut minimùm, sit planè improbabilis, quam veritatem definiuit *Trid. sess. 6. illis verbis: disponantur autem ad justitiam &c.*

253. Quæritur. An voluntas possit efficere, ut assensus fidei in seipso sit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad assensum impellentium?

Resp. Affirmativè, ita decrevit Innoc. XI. damnans propos. 19. ratio est, quia si assensus fidei non posset esse magis firmus, quàm meretur pondus rationum impellentium ad assensum, sequeretur, quod assensus fidei non haberet omnimodam firmitatem, & certitudinem, hoc est hæreticum, & certò falsum, ergo certò falsum est antecedens, unde id infertur.

254. Quæritur. An ad actum fidei sufficiat, quod voluntas non repugnet, quin requiratur positivum imperium?

Resp. Quamvis opinio affirmativè non damnetur expressè in decreto Innoc. XI. ex vi tamen talis decreti antiquata manet; non damnatur expressè, quia ad hoc, necesse est, ut propositio per suos formales terminos expressa, aut per æquivalentes præscribatur ut scandalosa, aut tanquam digna aliqua alia censura theologica; antiquata verò manet, quia est impossibilis cum decreto, licèt per proprios terminos non exprimatur.

255. Quæritur. An possit quis prudenter repudiare assensum fidei, quem habebat supernaturalem?

Resp. Negativè, ratio est quia vel nititur rationis creatis, seu signis credibilitatis ad assensum impellentibus, & huiusmodi assensus non est Theologicus, & su-



pernaturalis, cum non nitatur Deo loquenti, vel positus signis credibilitatis nititur Deo loquenti, & sic quomodo potest prudenter testimonium divinum amplius repudiari? 1. *Joan 5 dicitur; qui credit in Filium Dei habet testimonium Dei in se*, sed tantum testimonium prudenter repelli non potest, ergo nunquam potest actus fidei supernaturalis præconceptus repudiari, ut manifestè constat ex propof. 20. inter proscriptas ab Innoc. XI.

256. Quæritur. An assensus fidei supernaturalis stet cum notitia solùm probabili revelationis, sive cum formidine de illa?

Resp. Negativè, nam ad actum fidei non sufficit probabilitas de revelatione, neque cum actu fidei compossibilis est formido, ex quo evidenter inferitur, actum fidei esse non posse, quin sit omninò certus, ut manifestè patet ex decreto Innoc. XI. damnantis propof. 21.

257. Quæritur. An damnata sit opinio asserens, posse terminari actum fidei supernaturalis ad ea objecta, quæ probabiliter continentur sub vera revelatione universalis?

Resp. Non defuerunt DD. qui dixerunt, terminari posse actum fidei supernaturalis ad objecta, quæ probabiliter continentur sub revelatione universalis, v. gr. totam Sacram scripturam revelavit Deus, si ergo aliquis sibi probabiliter persuadeat, hunc esse sensum talis loci scripturæ, poterit illum sensum credere actu supernaturali fidei. Dicendum tamen est, eam opinionem esse damnatam, & ratio est, quia illa propositio, quæ propugnat, actum fidei divinæ stare cum notitia solùm probabili.

bab. —



bibili revelationis, aut cum formidine de  
 existentia revelationis est damnata, assen-  
 sus enim, qui terminatur ad objectum sin-  
 gulare probabiliter contentum sub reve-  
 latione universali, stat cum notitia so-  
 lum probabili revelationis, & cum for-  
 midine de existentia revelationis, ergo  
 talis opinio proculdubio damnationi subji-  
 citur.

258. Quæritur. An damnata maneat il-  
 la opinio, quæ docet, non requiri eviden-  
 tiam credibilitatis ad actum fidei, ortam  
 ex argumentis, maximè in pueris, & ru-  
 dibus?

Resp. Negativè, nam certum est, non  
 requiri in pueris, & viris, ac fœminis rudi-  
 bus evidentiam ortam ex argumentis, quo-  
 rum mentes rudes non sunt capaces; suffi-  
 cit enim in talibus evidentia moralis, qua  
 sibi certissimè persuadent, Parochum, vel  
 alium proponentem mysteria fidei, velle  
 decipere, & licèt hoc excedat fidem hu-  
 manam, accedente tamen illustratione,  
 & inspiratione divina, excedit humanam  
 fidem; & motivum aliàs probabile reddi-  
 tur plusquam moraliter certum.

259. Quæritur. An sit supernaturalis  
 actus fidei, quo quis v.g. vult credere abso-  
 lutè, se post contritionem, quam credit  
 supernaturalem, gratiam esse consecutum,  
 vel hanc numero hostiam esse consecratam,  
 aut hunc infantem post baptismum esse in  
 statu gratiæ?

Resp. Hujusmodi actum esse solùm na-  
 turalem, ratio est, quia fides supernatu-  
 ralis sicut abhorret à falsitate, ita etiam  
 abhorret à formidine, sive actualis, sive ra-  
 dicali; assensus autem fidei in casibus ab-



ductis non potest excludere formidinem saltem radicalem, cum prudenter dubitari possit; num contritio fuerit sufficiens ad gratiam recuperandam, num hæc hostia sit a legitimo Ministro, & cum debita intentione consecrata &c. Cum enim hæc aliquando accidant, potest intellectus dicere, fortè hic, & nunc, ita se res habet, ergo assensus fidei in his casibus esset solùm probabilis.

260. Quæritur. An sit damnata opinio asserens, posse elici actum fidei supernaturalis circa objectum, quod sibi proponitur, ut moraliter certum, quod illud continetur sub revelatione universali?

Resp. Negativè, nam quando datur certitudo moralis (certitudo, inquam, in gradu supremo) quod objectum singulare continetur in universali revelato, tunc potest actus fidei supernaturalis terminari ad id objectum singulare, idque objectum singulare credendum est fide divina, ut v. g. Deus revelat, se velle, omnem hominem salvum fieri, consequenter revelat, se velle, Petrum, Paulum, & Franciscum salvos fieri.

261. Quæritur. An fides explicita Dei remuneratoris sit necessaria necessitate mediæ ad salutem; ita ut in nullo prorsus casu possit justificari adultus sive fidelis sit, sive infidelis absque tali fide?

Resp. Affirmativè, & patet assertio: primò quia testimonium *D. Pauli ad Heb. 11.* *credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator est.* intelligitur à Conciliis, & Patribus cum omnimoda universalitate, & sine limitatione, patet. 2. ex *Concilio Trident. multis in locis.*



sis, & præcipuè sess. 6. cap. 7. ubi sic statuit: *hinc fidem ante baptismi Sacramentum ex Apostolorum traditionibus &c.* ex quibus concluditur, quod fides, quæ est in Ecclesia præstat vitam æternam, & quod illam non præstet sine spe vitæ æternæ; & quod cum spes vitæ æternæ haberi non possit sine fide explicita Dei ut Remuneratoris, sit manifestum, quod hæc fides explicita est medium necessarium ad consequendam vitam æternam, cum istæ propositiones Concilii universales sint, ideo jure merito damnatur ab Innoc. XI. Propositio 22. quæ hanc universalitatem excludit.

262. Quæritur. An ad omnem justificationem fidelium semper sit necessaria necessitate mediæ fides explicita actualis de Deo ut Remunatore?

Resp. Sufficere ad justificationem actum fidei explicitè de Deo ut remuneratore, virtualiter persistentem in suo effectu; scilicet non à remoto, sed à proximo tempore elicitum, & non retractatum; propinquitas autem temporis debet esse tanta, quanta requiritur, ut censeatur moraliter perseverare, nec deletam esse memoriam illius, quod congruè videtur etiam procedere in materia spei retributionis æternæ, ratio est, quia durum videtur, & seipulis obnoxium requirere ad Confessionem, & justificationem actum formalem fidei, & spei, nec sufficere virtualementem, & hæc doctrina non solum est probabilis, sed certa, sicut certum est, agricolam, dum seminat immemor fructuum, habere spem colligendi fructus.

263. Quæritur. An ad justificationem sufficiat fides explicita supernaturalis

de



de Deo ut remuneratore naturali?

Resp. Non sufficere, sed requiri fidem explicitam de Deo ut remuneratore non ex bonis temporalibus hujus vitæ, sed ex boni vitæ æternæ, & opposita opinio ad-versatur oraculo D. Pauli, qui ex communi sensu Ecclesiæ agit de remuneratore superiori ad bona temporalia, nam *in cap. 11. ad Hebr. incipit per illa verba. Est autem Fides sperandarum substantia rerum: argumentum non apparentium*, quod de bonis æternis planè intelligitur.

264. Quæritur. An fides latè sumpta ex testimonio creaturarum, similivè motivo naturali ad justificationem sufficiat?

Resp. Damnatam esse quamcumque opinionem, quæ docuerit, non esse necessariam ad justificationem fidem fundatam in auctoritate Dei revelantis, sed sufficere fidem late sumptam, scilicet, quæ ex testimonio creaturarum, aut alio simili motivo habeatur, nam communis; & certa sententia Theologorum est, fidem, quæ propriè, & strictè fides est, scilicet fundata in auctoritate Dei revelantis, esse adulto omnino necessariam ad justificationem, ut constat *ex scriptura, Conciliis, & SS. Patribus, & ira decrevit Innoc. XI. damnans propos. 23.*

265. Quæritur. An opinio docens, seclusa lege Dei, posse hominem justificari media cognitione supernaturali habita ex testimonio Creaturarum, damnationem incurrat?

Resp. Negativè, ratio est, quia decretum Pontificium non decernit, quod fides stricta requiratur ad justificationem independentem à lege Dei, aut dependentem ab illa, sed solùm quod est absolutè requisita ad justificationem.

266. Quæ-



266. Quæritur. An infideles cum sola fide lata possint elicere actus supernaturales, quibus mereantur de congruo pervenire ad fidem strictam?

Resp. Infideles non possunt elicere actus supernaturales, antequam perveniant ad fidem strictam, & consequenter antequam desinant esse infideles, nam ex testimonio D. Pauli ad Hebr. 11. sine fide impossibile est placere Deo, ergo impossibile est, quod infideles faciant opera, quæ Deo placeant, scilicet in ordine ad remunerationem æternam, nam remuneratio temporalis, & opera, quæ illam merentur, quasi nihil reputantur coram Deo, facta comparatione ad remunerationem æternam.

267. Quæritur. An ad quodlibet opus meritorium hominis fidelis præcedere debeat actus fidei?

Resp. Nullum opus meritorium vitæ æternæ fieri, nisi procedat ex dictamine fidei supernaturalis, ita ut neque opera hominis Catholici meritoria sint præmii supernaturalis, nisi procedant ex doctrina fidei non tamen est necessarium habere actualiter actum formalem fidei, quo dicat verb. gr. Credo propter auctoritatem Dei revelantis, elemosynam esse bonam, & Deo placentem; sufficit enim, quod procedat virtualiter ex actu fidei: fides igitur est fundamentum, & radix omnis justificationis, ut constat ex Trident. Sess. 6., cap. 6. de justificatione.

268. Quæritur. An opera, quæ non fiunt ex fide supernaturali per dilectionem, sint peccata?

Resp. Auctores docentes opinionem affirmativam putant, operationes, quæ præcedunt



cedunt ab homine sine charitate, esse peccata; quod falsum est, & expressè ab Alexandro VIII. damnatum cum prop. XI. ratio est, quia si ea opinio esset vera, sequeretur, quod nullum opus peccatoris esset bonum, quod est contra Trident. sess. 6. Can. 7. ubi dicitur: *si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem sunt, quacumque ratione facta sint; vere esse peccata, vel odium Dei mereri, vel quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tantò eum gravius peccare, anathema sit?* & sanè quis neget vacare culpa, & esse laude valde dignum exercitium virtutum moralium in peccatore, & infideli, sicut etiam virtutum fidei & spei, nec non attritionis supernaturalis, quæ antecedunt justificationem? Cum enim isti actus ad justificationem disponant, proculdubio culpa vacant, cum nequeat culpa ad gratiam obtinendam disponere; id apertissimè docuit D. Augustinus. *Epist. 57. dicens: Eleemosynas, & orationes Cornelii Centurionis ex gratia auxilio factas obtinuisse, ut ad justificationem perveniret, & in templum Dei superadificaretur: Ex dictis elucet etiam falsitas propositionis 8. interdamnatas ab eodem Pontifice, quæ habet: Necessè est infidelem in omni opere peccare.*

269. Quæritur. An quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficiat etiam fides, ita ut, licèt videantur credere, eorum fides non sit divina, sed humana?

Resp. Quod fides divina non possit consistere cum magnis peccatoribus, etiam quando in iis deficit omnis amor, est falsum, & expressè à prædicto Pontifice damnatum cum propof. 12. nam Jacob. 2. dicitur: *quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat*



se habere, opera autem non habeat, & 1. Divi Pauli ad Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum? constat enim sermonem hic esse de fide divina, quia Apostolus dicit, si habuero omnem fidem, atque adeò non solum humanam, sed etiam Theologicam; constat id etiam ex Trident. sess. 6. cap. 15. ubi docet, fidem infusam non amitti per quodvis peccatum (sicut amittitur gratia) sed per peccatum infidelitatis, ergo tam in magnis, quam in non magnis peccatoribus perseverat habitus spei infusæ, si mortale ipsi spei non adversetur, aut si non adversetur fidei, quæ est spei fundamentum; quod pariter docuit August. lib. 1. de Trinit. cap. 18. dicens: fidem sine charitate esse posse, non autem prodesse; ratio autem cur virtus infusa fidei, nec non spei perseveret etiam in magno peccatore, est, quia utraque ad resurrectionem supernaturalem peccatoris disponit, ac proinde ex mera divina misericordia utraque perseverat, ut possit facile peccator ad vitam gratiæ revocari.

270. Quæritur. An fides explicita Trinitatis, & Incarnationis sit necessaria ad justificationem?

Resp. Post promulgationem Evangelii esse omninò necessariam, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii ut probabilius docent DD.

271. Quæritur. An sit capax absolutio- nis, qui ignorat invincibiliter mysteria fidei credenda explicitè necessariò necessitate medii?

Resp. Negativè, ratio est, quia non est absolvendus, qui non adhibet medium necessarium ad justificationem, nam, quod est  
medium



medium necessarium ad justificationem, est medium necessarium ad absolutionem, sed qui ignorat Deum, ut Remuneratorem non adhibet medium necessarium ad justificationem, cum fides explicita, & notitia Dei ut Remuneratoris, sit medium necessarium ad illam; ergo qui ignorat etiam invincibiliter est incapax absolutionis; constat *ex propositione 64. inter damnatas ab Innoc. XI.*

272. Quæritur. An ignorans culpabiliter mysteria Trinitatis, & Incarnationis sit incapax absolutionis?

Resp. Constat ex præfata propof. 64. esse expressè damnatam opinionem affirmativam, tanquam scandalosam, & evidenter falsam; ratio est, quia non est capax absolutionis, qui actualiter peccat mortaliter, dum absolvitur, qui enim ignorans culpabiliter hæc duo mysteria absolvitur, proculdubio mortaliter peccat.

273. Quæritur. An ignorans inculpabiliter eadem duo mysteria sit absolutionis capax?

Resp. Qui dum vivit inculpabiliter ignorat hæc duo mysteria Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis incapax est absolutionis, aded ut Confessarius id advertens peccet gravissimè absolvendo, & pœnitens petendo absolutionem, ratio est, quia prima pars damnatæ prop. 64. asserit absolutè, esse capacem absolutionis eum; qui ignorat mysteria fidei, sine distinctione ignorantia culpabilis, vel inculpabilis; Confessarius autem qui non poterit non advertere rusticitatem, & incitiam pœnitentis, atque facile intelligent, quàm sit ignarus horum mysteriorum, tenebitur ad instruendum illum



lum, antequam absolvat, nam pœnitens  
semper erit absolutionis incapax, donec ea  
mysteria competenter addiscat.

274. Quæritur. An qui ignorat prædicta  
mysteria sit incapax absolutionis non solum  
quoad licitum, sed etiam quoad valorem?

Resp. Magnum esse discrimen inter hoc,  
quo quis sit capax absolutionis quoad valo-  
rem, & hoc; quod sit capax quoad licitum,  
nam quamvis ille, qui cum advertentia  
de illicito accedit ad confessionem sit  
etiam incapax quoad valorem eo quod  
actualiter peccans invalidè absolvitur; ta-  
men potest contingere, quod quis accedat  
bona fide ad confessionem, & ignorans in-  
vincibiliter id esse illicitum, & concur-  
rente eadem bona fide in Confessario, ab-  
solutio sit valida, quamvis ex se sit illicitum  
facere Confessionem eo modo.

275. Ex quibus colligitur. 1. quod, qui  
ignorat etiam invincibiliter ea mysteria fi-  
dei, quæ sunt necessaria necessitate medii  
ad justificationem, si absolvitur à peccatis,  
invalidè absolvitur, quia non ponit media  
præcisè necessaria ad justificationem.

276. Colligitur. 2. invalidè absolvi eum,  
qui culpabiliter ignorat mysteria Trinitatis,  
& Incarnationis, si advertat gravem  
culpam suæ ignorantiae, vel habeat inadver-  
tentiam ejus graviter culpabilem, quia  
mortaliter peccat in confessione actualiter.

277. Colligitur. 3. Sacerdotem, qui ab-  
solvit ignarum culpabiliter, vel inculpa-  
biliter mysteriorum Trinitatis, & Incar-  
nationis, mortaliter peccare, non solum,  
quia tenetur instruere pœnitentem circa  
mysteria necessaria, & obligatoria; sed  
etiam, quia tenetur eligere in praxi opi-  
nio-



nionem tutiorem circa valorem Sacramenti, & cum opinio, quæ docet, absolutionem datam eiusmodi homini ignaro eorum mysteriorum esse invalidam, est opinio tutior, ideo tenetur eligere eam sub culpa mortali.

278. Colligitur. 4. opinionem, quæ docet, absolutionem datam homini invincibiliter ignaro eorum mysteriorum esse validam, probabilem esse speculativè, quia probabiliter censet, eum hominem absolutum esse, illam tamen non esse practicè probabilem, quia est minus tuta.

279. Quæritur. An sit absolvendus moribundus, qui præsumitur ignarus dictorum mysteriorum, & quia summè gravatus est infirmitate, non potest inquiri, an habeat sufficientem notitiam eorum, neque instrui potest?

Resp. Debet absolvi sub conditione, cum non sit certum, illum esse indispositum, aut incapacem absolutionis, & indubio tutior pars est eligenda pro salute moribundi.

280. Quæritur. An sit absolvendus, qui per negligentiam culpabilem ignorat alia mysteria fidei ab omnibus scienda, & credenda necessitate præcepti, v.g. qui culpabiliter ignorat Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, præcepta decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta maximè necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, & Pœnitentiam?

Resp. Regulariter non est absolvendus, quamvis doleat, ac proponat addiscere; ratio est, quia non facile præsumi potest hac id re emendatio, ut docet experientia, & idcirco regulariter differenda est absolutio,



tio, donec huic suæ obligationi satisfaciatur; si verò seridè promittat quamprimùm addiscere, & aliàs non promiserit, vel non fuerit à Confessariis admonitus, poterit absolvi pro prima vice, si doleat de sua culpabili negligentia: notandum tamen, quod non tenetur sub mortali hæc omnia scire memoriter, sed sufficit: si interrogatur sciat respondere crasso saltem modo, & quoad substantiam, nisi impotentia, incapacitas, seu ruditus excuset.

Non sufficit verò latinè scire ea mysteria, sed vernaculè cum aliqua intelligentia, & apprehensione illorum pro captu cuiusque; unde magnus est abusus Parochorum, qui contenti docuisse Symbolum latine, non explicant rudibus mysteria fidei; panis enim, qui parvulis præbetur, frangendus, comminuendus, masticandus, & in fauces inferendus est, væ Parochis, væ Rectoribus animarum, qui hanc instructionem dedignantur.

281. Quæritur. An sint repetendæ Confessiones ad eo, qui ignorabat mysteria Trinitatis, & Incarnationis?

Resp. Negativè, ratio est, quia quamvis non absolvatur licitè, qui ea ignorat, probabile tamen est, quod absolvatur validè iuxta dicta superius *quæst.* 274. quoties autem probabile est, Confessiones præteritas fuisse validas, eæ non sunt repetendæ.

282. Quæritur. An detur præceptum divinum de credendis explicitè præcipuis mysteriis, & specialiter his duobus Trinitatis, & Incarnationis?

Resp. Affirmativè, quod quidem præceptum constat ex *S. Scriptura Marc. cap. ult. Prædicate Evangelium omni Creature, baptizantes*

zantes



antes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, qui verò non crediderit, con demnatur; ergo dum Christus Dominus præcipit promulgari Evangelium, utique præcipit promulgari mysteria Trinitatis, & Incarnationis; de aliis mysteriis, quæ sunt necessaria necessitate mediæ ad justificationem, nempe de existentia Dei, & de Deo ut Remuneratore, constat præceptum ex illo D. Pauli testimonio ad Rom. II. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator est?* An sufficiat semel illa mysteria credidisse; vide quæ dixi qu. 243. & 245. opinio enim docens, sufficere fidelibus semel illa mysteria credidisse, expressè ab Innoc. XI. cum prop. 65. damnatur.

### F O R N I C A T I O .

283. **Q**Uæritur. An fornicatio, & pollutione sint malæ moraliter ex sola prohibitione Dei, an potius ab intrinseco, atque adeo ex jure etiam naturali?

Resp. Est de fide, fornicationem, & pollutionem esse peccata mortalia, atque adeo intrinsecè mala, quia non solum ex prohibitione Dei, sed specialiter jure naturæ sunt vetita; constat enim ex doctrina, quam tradit Apost. cap. 6. Ep. 6. ad Corinth. ubi malitiam fornicationis, & cujuslibet actus luxuriosi ostendit, non à præcepto Domini, quod supponit, sed à variis rationibus; constat etiam ex decreto Innoc. damnantis propositiones 48. & 49.

284. Ex quibus sequitur 1. quòd sicut nemo potest complacere sibi de blasphemis in somno, aut ebrietate prolatis, aut de parricidio,